17
18

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE TYMPANITIDE.

QUAM,

FAVENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

GUILIELMI AB IRHOVEN,

A. L. M. S. S. Theol. & Phil. Doct. Illiusque Facult. ut & Hist. Eccles. Prof. Ord.

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu, atque Nobilissimæ* FACULTATIS MEDICÆ *Decreto;*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis rite ac legitime consequendis,

Eruditorum Examini submittit

ALDERT WALRAVEN,

SYLVA-DUCENSIS.

Ad diem 24. Martii H. L. Q. S.

TRAJECTI AD RHENUM

EX OFFICINA JOANNIS BROEDELET,

ACADEMIÆ TYPOGRAPHI. MDCCLX.

VIRO PLURIMUM REVERENDO,
DOCTISSIMOQUE

D. GERARDO WALRAVEN,

ECCLESIÆ, QUÆ IN PAGO ENGELEN COLLIGITUR, PASTORI FIDELISSIMO, PATRUO SUO PATRIS INSTAR IN PERPETUUM OBSERVANDO, COLENDO.

NEC NON

VIRIS CELEBERRIMIS, CLARISSIMIS

D. JOHANNI OOSTERDYK SCHACHT,

A. L. M. PHIL. ET MED. DOCTORI, MEDICINÆ THEORETICÆ ET PRACTICÆ PROFESSORI, PROMOTORI SUO OMNI STUDIO ET HONORE PROSEQUENDO.

D. JACOBO GYSBERTO WOERTMAN,

MED. DOCTORI, NUPER ADMODUM ANAT. ET CHIRURG. PROFESSORI, NUNC VECTIGALIUM, QUÆ SIGILLORUM NOMINE PENDUNTUR, QUÆSTORI.

D.

D. JOANNI DAVIDI HAHN, A. L. M.
PHIL. ET MED. DOCTORI, EARUMQUE SCIENTIARUM, NEC NON CHEMIÆ ET BOTANICES PROFESSORI.

PRÆCEPTORIBUS SUIS IN OMNEM ÆTATEM COLENDISSIMIS

Hoc laborum auspicio eorundem peractorum specimen grato animo consecrat.

ALDERT WALRAVEN,

AUCTOR.



DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE TYMPANITIDE.

PROOEMIUM.

Res vulgo non naturales dictas ad Corporis humani sanitatem, imo ad ipsam vitam conservandam necessario requiri, quisque aliquantulum rei medicæ peritus mihi ultro concedet. E pathologicis etiam hoc compertum habemus; docet idem clare experientia.

Verum aliquod si modo vitium in iis obtinet, statim morbus nascitur, & plerique morbi ab eis generantur: primarium inter eas locum meretur fluidum illud universale, quod plerumque aëris atmosphærici nomine provenit; hic enim adeo Corpori humano necessarius est, ut, eo deficiente, nullus mortalium unquam vivus subsistere posset: experimenta philosophica hoc clare ostendunt; nam animal sub antlia pneumatica positum, & aëre orbatum statim moritur; Idem tamen

men ille aër interdum ita perniciosus evadit, ut enormia mala producat: nonne morbi endemici & epidemici plerumque ab aëre originem ducunt? nonne colica? nonne flatus, & hinc oriunda mala? nonne alii plures certe diri morbi ab aëre atmosphærico generantur? imprimis si cum aëre alimentis extricato commisceatur, & vitium quoddam in corpore accedat.

Inter hosce tamen merito primo numeratur tympanites, si attendamus ad atrocitatem hujus morbi, ad pessima symptomata, quibus interdum stipatur, & ad morbos, quos producere valet: ejus vero accurata cognitio diu tenebris obvoluta fuit: patet quidem ex *Hippocratis*, *Galeni*, *Aretæi*, *Celsi*, *Paracelsi*, *Helmontii*, *Riverii* scriptis, eos morbum cognovisse, verum omni etiam dubitatione caret, veram ejus naturam eos latuisse.

Præcedenti seculo *Thom. Willisius* primus eum accurate descripsit, & *Carol. de la Font.* Proff. Avenöensis non inelegantem de eo edidit dissertationem: hujus seculi anno 13 multa plæclara Actis Parisinis de eo inseruit Cl *Littrius*: anno 1731. Edinburgi defendit dissertationem de tympania *Jacobus Dalrymple*; & sententias plurimorum examinat, suasque addidit observationes *Ant. de Haen* in opere non satis laudando Rat. Med. part. 2. & in multis Actis medicis, ut & apud plurimos recentiores practicos passim pulchra quidem, pauca tamen inveniuntur.

Omnibus vero palmam præripit *Paulus de Combalusier* in Comment. suo de *flatulentis Corporis humani adfectibus*, ubi omnes hypotheses proponit, & examinat, signa tradit & suam experimentis confirmat sententiam; Verum hi omnes præclari viri in derminanda causa & præscribenda curatione multum differunt, & pauca eorum dictis addenda videntur: Itaque hæc materies, L. B. præ aliis mihi placuit, de qua specimen, gradum doctoratus acquisiturus, more Academico conscriberem: nova tamen ne a me expecta; quippe qui praxin medicam nunquam exercui: omnia vero collegi ex scriptoribus & observationibus fide omnino dignis, & prout vires permiserunt ordine satis accurato disposui;

cæte-

cæterum viris in arte præclaris aliquantulum placuiſſe mihi calcar erit & gloria.

§. I.

Ut itaque ordinem, quem plerique in conſcribendo aliquo themate, præprimis practico obſervarunt, ſequar, mihi incumbere videtur, ut incipiam a vocis origine, quæ multum facit ad meliorem morbi noſtri cognitionem. Vocabulum tympanitis (græcis τυμπανιτης, τυμπανια, & τυμπανῶεις a τυμπανιζω i. e. fuſtibus cedo: belgis de *Trommel* of *windſugt*) componitur ex voce tympano ſignificante inſtrumentum bellicum ſonitum edens, & particula græca ιτις, quæ adfectum ſive morbum indicat, a veteribus plurimum uſitata in morbis præcipue inflammatoriis deſignandis, ut in vocibus *pleuritis*, *nephritis*, *hepatitis* &c.

Antiqui etiam Medici omnibus fere morbis nomina dedere a præcipuo ſymtomate in iis occurrente: ita febrem ardentem nominarunt *cauſum* a primario ſymptomate, nempe calore; hunc ergo morbum vocarunt tympanitidem a ſono, quem venter percuſſus inſtar tympani edit, qui eſt quaſi pathognomicum hujus morbi ſignum.

Huc usque fere ab omnibus medicis relatus fuit inter hydropis ſpecies: videte antiquos omnes, evolvite recentiorum plurimos, & invenietis fere ſemper tres hydropis ſpecies, *aſcitem* nempe, hydropem *ana-ſarca*, & *tympanitidem*; ideo etiam multi ei adjungunt vocem hydropem, dicuntque hydropem tympanitidem, & idcirco parens medicinæ magnus *Hippocrates* ei nomen indidit ὕδρωπ© ξηρȣ i. e. *hydropis ſicci*, cujus tamen veram ſignificationem ex eo, ejusque interpretibus, imo ne ex ipſo quidem *Galeno* habemus: videtur tamen nimis improprie ita appellari; nam nihil fere cum hydrope commune habet, quam extenſionem ventris: ſiccitas & hydrops contraria ſunt; hydrops enim derivatur ab ὕδωρ i. e. *aqua*, cujus tamen nullum veſtigium hoc in

 morbo

morbo obſervatur, niſi quando ei aſcites junctus ſit. (1)

I I.

Jam à priſcis temporibus hicce morbus médicis fuit cognitus, quarum tamen alii tantum nominetenus cum deſignarunt, alii vero ejus deſcriptionem dedere. Nonnulli prorſus aliam ingreſſi ſunt viam hujus morbi exiſtentiam negantes, inter quos excellunt Proſper Martianus (2) & Sharpius Chirurgus Anglus (3) putantes omnem tympanitidem eſſe imaginariam, & per eum ſemper aſcitem intelligi debere; verum hujus ſententiæ contrarium obtinere, & revera dari hunc morbum, imo ſæpiſſime adeſſe non ſolum probant tot tam recentium quam antiquorum auctorum teſtimonia, ſed & quotidiana evincit experientia: nonne videmus ſæpe mulieres ventres tumidos ſiccosque habere? nonne infantes ſæpiſſime hydropicos judicatos ventre tumido mori, e quo, paracentheſi inſtituta, nil niſi aër exit? & quid aliud hoc indicat, quam tympanitidem: Hæcce tamen clarius ex ſequentibus patebunt, quando eum ſimul cum ejus poſſibilitate defendere conabor.

I I I.

(1) *Etmuller* Oper. tom. 2. pag. 692. putat per hydropem ſiccam non intelligi debere tympanitidem, ſed aſcitem particularem, ſi nempe omnia extabeſcunt, excepto abdomine, ſed contrarium ex omnibus *Hippocratis* commentatoribus & ex aliis de hujus morbi medicina bene meritis luce meridiana clarius mihi patere videtur, multa enim proponit *Hippocrates*, quæ non de aſcite, ſed ſolummodo de tympanite vera ſunt.

(2) Vide *Willis* pharm. rat. tom. 2. ſect. 2. cap. 4.

(3) In tract. belg. Oordeelkundige Aanmerkingen over de Heelkunde, pag. 201.

III.

Ordinis ergo nunc transire deberem ad morbi definitionem, verum quia hic morbus, æque ut scorbutus, recte definiri nequit, ejus cognitio ex historia morbi, vel saltem ex ejus signis clarius patebit, in quibus enumerandis sequar ordinem præceptoris mei plurimum Venerandi *J. Oosterdyk* (4) & postea addam ea, quæ apud alios auctores recensita inveniuntur.

Cognoscitur itaque tympanites 1. ex solo ventris tumore, 2. ex nullis impressorum digitorum foveis 3. ex sonitu, quem percussus venter instar tympani edit 4. ex nulla humoris fluctuatione, moto corpore, deprehensa 5. ex pondere corporis non aucto ea proportione, qua augetur tumor 6. tumore, æger si supine jacet, non ad latera cedente 7. ex duspnœa quidem, sed non magna 8. nulla difficultate ex decubitu percepta 9. ex tumore uno momento magis quam altero elevato, licet nulla evacuatio sensibilis adfuerit: Multa quidem alia ab auctoribus recensentur, verum hæc quia præcipua sunt, plura non enumerabimus, & hisce facile morbus noster ab aliis imprimis hydrope ascite, cum quo plerumque confunditur (ut ex §. 2. patet) distingui potest; nam in ascite tumor quidem adest; sed prementis digiti foveæ semper remanent; sonitus, ventre percusso, quidem aliquis auditur, qui tamen multo est obtusior, quam in tympanitide; æger duspnæa magna laborat, imprimis crescente morbo, fluctuatio aquæ clare percipitur, & corpus bilanci impositum pondere augetur, quo magis tumor abdominis increscit, tumor etiam in tympanitide rotundior est & abdomen tensius quam in ascite, facies non ita a naturali recedit &c. & hæc omnia in ascite ex copia aquæ infimo ventre contentæ tanquam causa proxima satis explicari possunt, in tym-

(4) Institut. pract. sect. 2. lib. 7. cap. 3. §. 11.

tympanitide etiam ex posita causa proxima signa illa explicare in sequentibus conabor.

I V.

In causa proxima hujus morbi recte determinanda auctores plurimi semper hæsitarunt: *Helmontius* suum Archæum tanquam causam ponit, & quidem ejus indispositionem localem, qui tum cibos, subinde ne quicquam flatulentos, inflatus mutat: Veteres fere omnes, uti causam hydropis in frigida hepatis intemperie posuerunt, ita hoc in morbo siccitatem (5) jecinoris accusabant; alii Sylvium secuti ab effervescentia aut fermentatione hunc oriri morbum putarunt, inter quos numerantur *Etmuller*, (6) *Mayerne*, (7) *Regnerus de Graaff*, (8) & imprimis *Carol. de la Font*, (9) verum quia hæ sententiæ jam dudum a medicis fuere rejectæ, mihi non incumbet hisce refellendis operam impendere: sed *Willisius* (10) longe aliam excogitavit sententiam statuens tanquam causam proximam hujus morbi spiritus animales inordinate motos, unde fibræ ventriculi & intestinarum nimis rigidæ fiunt & tenduntur, quo pori clauduntur, & ita vapores intus manent, & hanc multis experimentis, & exemplis affirmare adnititur, imprimis quia hysterici & hypochondriaci sæpe tympanitici evadunt, in quibus spiritus animales omnium maxime inordinate moveri creduntur; verum huc usque demonstratum non est, an quidem spiritus animales dentur, & an, si dentur, faciant ad motum corporis, quod tamen hic loci non est inquirere, sed ea de re videri possuut experimenta Claris-

(5) Vide Garæum def. med. voce ὕδρωψ.
(6) Oper. tom. 1. pag. 130.
(7) Prax. med. cap. 10. lib. 3. pag. 279.
(8) In tract. de succo pancreatico.
(9) In differt. de hydrope tympanite.
(10) Pharm. rat. tom. 2. sect. 2. cap. 4.

riſſimorum virorum de irritabilitate & ſpiritu nervorum capta. vide imprimis *Hallerum* & *Boerhave* harum ſententiarum patronos. Accedit, quod ſi per ſpiritus animales ita conſtringerentur inteſtina, ea nunquam in tantam molem expandi poſſent, quemadmodum in tympanitide obſervamus; Hanc tamen ſententiam præclari in arte viri amplexi fuerunt, uti *Baglivius* (11) *Fred. Hoffmannus* (12) *Hecquetius* (13) *Caſtellus* (14) aliique: *Littrius* (15) vero, cui maximam fere hujus morbi notitiam debemus e recentioribus, & qui frequenter cadavera tympaniticorum diſſecandi occaſionem nactus fuit, contrarium ſententiæ Williſianæ ſtatuens atoniam cauſam proximam conſtituit; cenſet enim gravibus ac diuturnis morbis, quibus Tympanites plerumque ſuccedit, ſanguinem depravari, & ſubtili ſpirituoſa & balſamica parte privari, unde tardior eſſet ſpirituum nervoſorum ad ventriculum & inteſtina affluxus, ſicque eorundem tonum maxime infringi, & ita atoniam oriri, quo contenta aceſcunt, fermentant, & aërem ſolvunt, unde ventriculus & inteſtina expanduntur, & ita tympanites generatur; ſed hæc ſententia gravibus etiam difficultatibus laborat, & non pauca ei contrariantur argumenta E. C. tympanites plerumque ſequitur paſſionem hyſtericam, colicam flatulentam &c. quibus potius ſpaſtice inteſtina coarctantur, quam ut flacceſcant. Plura argumenta eaque pulchra ad has binas ſententias enervandas videri poſſunt apud *Combaluſier* (16), qui & plures ſententias de hujus mor-

(11) Prax. med. lib. 1. pag. 81.
(12) Med Rat. Syſtem. tom. 4. part. 4.
(13) In ſua medic natur.
(14) Lexic. med. in voce tympanitis.
(15) Memoires de l'Academie Royale de ſciences ann. 1723 pag. 235.
(16) In Comment. de flatulentis C. H. adfectibus. edit. Pariſ. 1747. pag. 151 —— 153.

morbi causa proxima adfert, sed quas brevitatis causa prætcrimus.

Considerari hic morbus potest tanquam solus & immediate a causa proxima originem ducens, vel morbo alicui conjunctus, vel ab eo ortus: prior dicitur idiopaticus, alter sympaticus, seu symptomaticus; hinc duæ ejusdem generantur species, quarum idiopaticam primo explicabimus, dein altera nobis consideranda veniet.

V.

Hisce ergo præmissis veram causam morbi proximam adire nunc postulat ratio, & hancce ita esse debere existimamus, ut ex ea semel posita omnia signa explicari possint. Eam omnino in flatibus seu aëre elastico, a veteribus spiritu dicto positam esse censemus: verum anteqvam ea explicanda aggrediamur, non incongruum erit generalem aëris considerationem præmittere, ut ex ea ejus natura clarius pateat.

V I.

Aër vocatur illud fluidum, inconspicuum, tenue, grave; verum Chaos, corpora cuncta ambiëns, & se omnibus miscens, calore expandi valens & frigore comprimi, penetrabile, catholicum, quo homo carere nequit, sed quod se miscet cibo & potui, ingreditur primas vias (17) & sanguini adfunditur, quocum totum corpus ambit, & cum aliis humori-

(17) *Hippocrates* suo jam tempore hoc agnovit. en ejus verba, quæ in libello de flatibus continentur: *cum multorum autem ciborum ingestione necesse est & multum spiritum ingredi, omnia enim, quæ eduntur, & bibuntur, spiritus in corpus inferunt, aliquando plures, aliquando etiam pauciores, id autem inde manifestum fit; quod plurimis eructationes post cibos & potus evenire solent, discurrente nimirum aëre incluso, ubi perruperit bullas, quibus abscondebatur.*

moribus fecernitur (18), verum ejus maxima vis, & quafi ei propria vocatur *elafticitas*, quæ confiftit in ea virtute, qua aër in minus comprimi fpatium, & compreffione remittente iterum fefe expandere poteft, hæcce enim vis nobis maxime contemplanda venit: plures vero qualitates continet, fed eæ defcriptæ videri poffunt apud *Boerhave* (19) *Muffenbroek* (20) *Hales* (21) aliosque, quas fi proferrem, opus fufciperem fupervacaneum, itaque potius ex pofita caufa proxima explicanda figna aggrediamur.

VII.

In defcriptione morbi noftri (§. 3. propofita) inter figna ejus numeravimus.

1. *Solum ventris tumorem* quem ex aëre elaftico inteftinis contento oriri poffe experientia fatis conftat: diximus enim (§. 6.) aërem ingredi corpus humanum, mifceri cibo & potui, itaque fi ex primis viis per quamcunque caufam egredi impeditur, & vim fuam elafticam exercet, facile patet, inteftina mirum in modum extendi poffe, & ita tumorem ventris poffe excitare nemo inficias ibit. Quæ vero hæ caufæ impedientes fint, clarius exponemus.

2. *Nullas impreſſorum digitorum foveas*, nam aër elafticus inteftinis vel abdomine inclufus & in tumorem extenfus preffioni digitorum refiftit, & hoc manifeftum ex elafticitatis definitione (§. 6. data) nempe aërem comprimi poffe, fed ftatim, compreffione fublata, iterum in priftinum ftatum refilire, quam primum nunc medicus vel aliquis ventrem examinare voluerit, digitis comprimat eum, ftatim oriuntur

 fo-

(18) Vide differt. *P. van Muffenbroek* de aëris præfentia in hum. anim. ann. 1715.
(19) Elem. Chem. tom. 1. cap. de aëre.
(20) Inft. Phyf. part. 2. cap. 37.
(21) In Tractatu, cui titulus ftatice vegetantium.

foveæ, quia aër comprimitur, digitis tamen remotis; aër resilit: & ita foveæ evanescunt.

3. *Sonitum a percussione ventris instar tympani ortum:* Scimus ex philosophicis (22) sonum oriri ex collisione aëris cum corporibus duris, hoc enim in casu digitis si prematur abdomen, aër quidem comprimitur, verum remota pressione aër elasticitate sua resilit, & quasi alliditur contra peritonæum & integumenta, & ita sonitum format, observamus enim quotidie, aërem primo coarctatum in intestinis, dein, coarctatione resoluta, exire cum sonitu, quem nos latine crepitum ventris, græce ψοφον, βομβον aut τρισμωδην appellamus, & hoc a solo motu aëris contra intestinorum interna oriri videtur,

4. *Nullam humoris fluctuationem* præcipuum signum in ascite fere semper est humorum fluctuatio, cujus causam aquam esse in abdomine contentam ex omnibus discimus, qui de eo scripsere, verum hoc in morbo in Abdomine aërem non aquam latitare supra (§. 5.) diximus: patet nunc ex natura aëris ipsa, ei nunquam fluctuationem saltem non perceptibilem posse adscribi, & eo minus fluctuationem illam instar motus humorum describi posse.

5. *Pondus corporis non auctum ea proportione, qua augetur tumor ventris* in ascite aqua, in tympanitide aer causa est tumoris abdominis, aquæ pondus maxime illud aëris superat (23), est enim aëris gravitas specifica comparata cum aqua uti, 1 ad 800, itaque si consideratur copia aëris, quanta in ventre hoc in morbo continetur, & copia aquæ, quanta in ascite ventrem opplet, magna erit gravitatis diversitas, bilanci enim si imponatur homo tympaniticus, vix pondus ejus naturali erit majus, licet decrescente Abdomine, vel eodem accrescente, pondus ejus exploretur, verum si homo Ascite labo-

---

(22) *Mussenbroek* inst. phys. part. 2. cap. 38. & *'s Gravesande* Elem. phys. mathem. lib. 2. cap. 9.
(23) *Mussenbroek* inst. phys. part. 2. cap. 37. §. 1341.

laborans idem examen ſubeat, pondus ejus a naturali multum recedit, & quo magis aqua oppletur Abdomen, eo magis pondus ejus augeri debere & contra quiſque facile concipit.

6. *Tumorem*, *ægro ſupine jacente*, *non cadentem ad latera* hoc etiam ex gravitate aquæ ſupra eam aëris explicari poſſe & debere ex præmiſſa explicatione ſatis clarum eſt, nam quo majus corporis pondus, eo magis premit, ergo Aqua plenus venter facilius pondere aquæ premitur ad latera, quam aëre ut ut levioris ponderis oppletus fuiſſet.

7. *Duſpnœam non magnam* (24) ſaltem non talem, quemadmodum in Aſcite quotidie obſervant medici, oritur & in tympanitide & in aſcite a preſſione contra diaphragma producta in hoc ab Aqua in illo ab aëre, hæc enim diaphragmatis preſſio pulmones impedit, quominus rite ſe explicare queunt, hinc circulatio in iis impeditur, & aër libere intrare & exire minime poteſt, verum hæc difficultas reſpirandi differt pro natura corporis prementis contra diaphragma, preſſio enim aeris tanta non eſt, quia aqua ſemper eodem fere tenore agit, aër vero amplius non premit, elaſticitate ſua amiſſa, aqua etiam, durante morbo, ſemperfere acrimoniam contrahit, qua pulmones ſæpisſime afficiuntur, accedit, quod raro diu durat Aſcites, quin ei ſimul jungatur hydrops thoracis, & ratio in promptu eſt, nam aqua cavitatem abdominis opplens pulmonum actionem impedit, tum ros ille naturalis concretionem eorundem cum pleura impediens, abſorberi nequit, unde copia aquæ ſenſim ſenſimque augetur, &, uti dicit Riverius (25) per cæca ſpiracula tranſudat

(24) Dicit quidem *Hippocrates* coac. prænot. num. 424. *ſpirationes*, *quæ nonniſi erecta cervice ducuntur*, *hydropem ſiccum facere*, verum hic potius hydropem, in quo nulla ſputa proveniunt, vel ſaltem thoracis aliquem morbum intelligi debere quam tympanitidem cenſet magnus *Hippocratis* commentator *Foëſius* comment. ad eum locum pag. 185.

(25) Prax. med. lib. 7. cap. 5.

dat in cavitatem thoracis, unde maximam oriri posse dufspnoeam facile concipitur.

8. *Nullam difficultatem ex decubitu perceptam* nam aër levior est aquâ, & ergo magnam presſionem non exercet in partes abdominis, si æger decumbat, accedit, quod presſio aëris æque tanta sit ad superiora, quam ad inferiora (26), & ergo non magis partes inferiores premi possunt, quam superiores, cum e contrario aqua atmosphæræ presſioni resistere non valens semper ad inferiora cadat; premens aörtam aliasque partes ei adjacentes, unde difficultas in decubitu, dufspnoea &c.

9. *tumorem uno momento magis quam altero elevatum sine ulla manifesta evacuatione*, hujus phænomeni causa aliquantulum sita esse videtur in elasticitate aëris, nam aër semper eodem modo elasticitatem non exerit, sed frigore constringitur, calore vero expanditur, prout nunc magis aut minus calor aut frigus in corpore regnat, etiam aër magis aut minus expanditur, si enim calor hæreat in ventre vel extus ei applicatur, expanditur aër ventre contentus & tumorem elevat, si vero per aliquam causam frigus accedit, idem aër expansus constringitur, & tumor abdominis desidebit, licet nulla evacuatio ανω vel κατω adfuerit, praecipua tamen causa est absentia vel præsentia spasticæ intestinorum, præprimis coli constrictionis & relaxationis, quæ & constrictio spasmodica in hystericis & mobilibus non raro atoniæ juncta borborygmorum frequentium & colicæ affectionis est causa.

In describendo differentiam inter ascitem & tympanitidem adjecimus adhuc duo signa, quae nunc explicanda proveniunt, ergo.

10. *Abdomen in tympanitide rotundius & tensius quam in ascite* 1. in explicatione signi Octavi diximus, aërem æque omni parte premere, & hæc æqualitas causa hujus rotunditatis videtur, nam aër in abdomine contentus extendit totum abdomen æqualiter, unde facile concipitur posse rotunditatem oriri.

(26) Vide *Mussenbroek* inst. phys. part. 2. cap. 37. §. 1344.

oriri. 2. causa tensionis patet ex elucidatione nostra, quam de signo tertio dedimus, tumorem enim, qui tympani instar sonat, tentum esse debere quotidiana docet experientia, si modo attendamus ad corpora durissima, quæ maximum sonum edunt, & patet ex natura rerum, nam, quo durius corpus eo allisio aëris major & contra.

11. *Faciem non ita a naturali statu, quam in ascite recedentem* in ascite enim 1. sanguis solutus colorem suum amittit, quia aqua in eo abundat 2. per aquam vasa laxantur 3. acrimonia ejus eroduntur ea, unde deformitas in cute nascitur, imprimis tamen in facie conspicua 4. nutritio depravatur, quia primæ viæ per aquam corripiuntur: verum in tympanitide aër infimo ventre contentus sanguinem non depravat, unde color naturalis constans manet, progressu quidem morbi atrophia accedit per expansionem a flatu primarum viarum, & compressionem inde productam, verum quia sanguis non ita corrumpitur evidenter patet cutis colorem non ita depravari, & idcirco faciem non ita a naturali statu posse degenerare: contingit tamen non raro, ut tympanitidi jungatur anasarca cum faciei pallore & intumescentia, verum hoc nonnisi in diu durante morbo observatur.

VIII.

Ex hisce explicatis facile patere mihi videtur causam proximam tympanitidis revera consistere in aëre elastico infimo ventri incluso, sed ex anatomicis scimus, ventris infimi cavum illud esse, quod hæret intra peritonæum ab apice cartilaginis ensiformis ad pubim usque extensum, continet ergo adhuc duas cavitates, abdominis scilicet & intestinorum: ex examine tympaniticorum clare patet, infimum ventrem esse obsessum, quænam vero pars ejus laboret, vel laborare possit, de eo jam dudum lis fuit agitata: veteres plerique causam proximam quidem aliquomodo determinant, verum rarissime locum determinatum describunt, in quo causam hujus morbi latitare cogitabant, apud omnes fere quidem locus

cus mali invenitur ventris cavum, ſed ex anterioribus hujus §. patet, ventris cavum ex duobus componi, abdominis & inteſtinorum, vide *Hippocratem* (27) *Galenum* (28) *Celſum* (29) eorumque commentatores (30) nunquam apud eos de ſede mali fit mentio: *Aretæus* (31) ſolus determinavit malum hærere in cavo abdominis, ex *Boneto* (32) *Mangeto* (33) *Riverio* (34) *Sennerto*, *Foreſto* res magis non eluceſcit: Verum *Duretus* (35) primus hæccc protulit *hinc hydrops ſiccus*, *cujus cauſa materialis flatus eſt, qui fere ſemper continetur in capacitate inteſtinorum:* & *Seuerinus* (36), qui malum ipſum tamen non novit, ſi tympaniticum aperiit, dicit *quod inteſtina erant ſqualkentia*, *coloris ianthini*, *& quaſi fiſtula inflata fuiſſent*, *præturgida*: *Littrius* (37) & hoſce ſecutus, re examinata, ſedem mali determinavit, dicens tympanitidem eſſe aëris collectionem in ventriculo & inteſtinis, aſſeritque, ſe nunquam in cadaveribus tympaniticorum inveniſſe aërem (quidem interdum aquam) in cavo abdominis incluſum, verum ſemper ventriculum & inteſtina mirum in modum fuiſſe expanſa, unde certum tympanitidis locum in primis viis ponit: huic calculum ſuum adjecit *de Haen* in aureo ſuo opere de rat. Med. (38) ubi exemplum adfert notatu dignum, & multas auctorum ſen-

(27) Coac. prænot. num. 424, 453 & 458, & ſect. 4. Aphor. 11.
(28) Comment. ad ea loca *Hippocratis.*
(29) De medicina lib. 3. cap. 21.
(30) *Foëſii* Comment. ad loca eadem *Hippocratis.*
(31) pag. 43 & 49.
(32) Sep. Anat. tom. 2.
(33) Biblioth. med. tom. 2.
(34) Prax. med. lib. 11. cap. 6.
(35) Adnot. ad *Hollerium* lib. 1. cap. 39. p. 305.
(36) De abſceſſ. recond. nat. pag. 271.
(37) Memoires de l'Academie Royale des ſciences ann. 1713.
(38) part. 2. cap. 5.

fententias examinat; verum apud plerosque recentiores invenimus fedem mali effe vel in cavo inteftinorum, vel in cavo abdominis, unde duæ hujus morbi fpecies generantur, vide *Baglivium*, (39) *Mead*, (40) *Ofterdyk*, (41) aliosque: apud quosdam vero plures fpecies enumerantur pro varia aëris fede, ita generatur *empneumatofis*, fi aër hæreat in panniculo adipofo, *pneumatocele* fi in fcroto, (de qua multi recentiorum dubitant, an quidem detur,) *pneumatomphalos*, fi in umbilico prominente aër contineatur (42): verum *Boerhave* (43) tres fpecies enumerat, fcilicet in cavo abdominis, duplicatura peritonæi & in dilatatis glandularum cavis, fed an revera duplicatura peritonæi detur, huc usque explicatum non eft, a multis enim negatur, a multis revera adeffe cenfetur, quorum alii in quibusdam locis peritonæi, alii in tota ejus mole duplicaturam dari exiftimant: plura de hac quæftione videri poffunt apud *Douglafs* (44) peritonæi accuratum defcriptorem, ubi omnes fere fententias pro & contra enumerat, fed quas mei non eft hicce explicare: verum licet adesset ea duplicatura, probabile tamen non eft in ea aerem ita poffe habitare, ut tympanitidem mentiatur, tum enim tumor tantus apparere nequit, ut inde certo concludatur, revera hunc morbum adeffe: alteram *Boerhavii* opinionem quod attinet, de ea rogari licet, an ibi intelligat glandulas cutaneas, an vero glandulas intus in corpore fitas, fi primum verum obverti poteft, a quibusdam anatomicis demonftratum fuiffe, eas non dari, nec dari poffe, vide modo *Heifterum*, (45) *Ruy-*

---

(39) Prax. med. pag. 81.
(40) Mon. & præcept. med. cap. 8.
(41) Inft. pract. fect. 2. lib. 7. cap. 3. §. 10.
(42) Vide de hifce de Gorter Chirurg. repurg. lib. 10. cap. 5. §. 1448.
(43) De cog. & cur. morb. aphor. 1226 & 1251.
(44) In defcript. peritonæi Lugd. Bat. 1738.
(45) Comp. anat. Ed. 1718. pag. 190.

Ruyschium (46) aliosque: si alterum verum, certe dubitari licet & potest, an quidem ex inde tumor ventris oriri posset, ex quo suspicio nasceretur, tympanitidis speciem adesse, accedit, quod rarissime glandulæ in tantam molem excrescant: numerantur ab aliis auctoribus aliæ morbi nostri species pro vario loco, quem aër occupat, verum ex descriptione hujus morbi, §. 3. data, patet, nos locum ejus solummodo posuisse in ventre, itaque cum auctoribus plurimis duas modo species esse statuimus, in cavo nempe intestinorum, & in cavo abdominis, & hasce breviter in sequentibus explicabo, verum, ut clariora evadant, quæ in posterioribus dicenda proveniunt, liceat mihi brevem partium, quæ laborare possunt, descriptionem Anatomicam & physiologicam præmittere.

I X.

Per cavum intestinorum intelligo tractum seu tubum, qui incipit a fine æsophagi & in anum finitur, nempe illas partes, quæ plerumque apud physiologicos nomine primarum viarum proveniunt; itaque simul eo nomine comprehendo ventriculum, qui etiam hoc morbo certe laborare potest: Ventriculus est vas membranaceum cibos recipiens, concoquens, expellens, adhærens Æsophago, ex quo cibos recipit, & terminans in primum intestinum, in quod cibos expellit, gaudet duobus orificiis 1. anteriori Cardia dicto, 2. posteriori, quod pylori nomine provenit, per primum cibus ventriculum ingreditur, per alterum eo exit. Componitur ex quatuor tunicis, quæ sunt 1. exterior, sive *Membranacea* 2. *Musculosa* 3. *nervea*, 4. interior sive *villosa*, ex qua plerumque depluit succus gastricus ex ultimis arteriolis in ea hærentibus secretus, quo & reliquis humoribus cibis in ventriculo adfluentibus, ut saliva, bile, succo pancreatico, imo ipso aëre, fotu partium adjacentium, actione musculorum abdo-

---

(46) Adv. Anat. dec. 1. pag. 9.

abdominalium adjuvatus actione sua musculari digestionem alimentorum efficit ventriculus, eaque in intestina protrudit: quæ (intestina) sunt unus idemque tubus alimentarius a pyloro ventriculi incipiens, & in anum terminans, numeratus plerumque sextuplo longior quam homo, in quo continetur; dividuntur in tenuia & crassa; tenuia sunt tria, duodenum, jejunum, ileum, crassa etiam tria, cæcum, colon, rectum: gaudent eadem structura ac ventriculus, nisi quod a quibusdam (47) membrana quinta addatur nomine *cellulosa Ruyschii*, hærens inter membranaceam & musculosam: multæ in iis adsunt valvulæ, imprimis in crassis, ut cibus non ita cito excederet: patulis osculis in tenuibus hærent vasa lactea, quæ chylum e cibo absorbent & in sanguinem deferunt: hæcce omnia & multa alia ad ea pertinentia, quæ tamen ad scopum nostrum non faciunt clarius & fusius videri possunt apud Anatomicos & physiologicos imprimis apud *Winslow* (48) & *Boerhave* (49): nostri modo est hæcce breviter enumerare, ut inde cognitio morbi vel saltem ejus causarum proegumenarum clarius innotescat, hisce & contenti satis esse possemus si ad aërem retinendum plurimum non faceret intestinorum situs, qui quam maxime mirabilis est, & itaque paulo accuratius considerandus nobis se offert: intestinum *Duodenum* oriens a pyloro ventriculi parumper statim retrorsum â superiori oblique deorsum incurvatur versus renem dextrum, cui magis vel minus adnectitur, indeque ante arteriam renalem, venam cavam a dextris sinistrorsum usque ante aörtam & ultimas dorsi vertebras adscendendo excurrit, dein oblique antrorsum leviter inflectendo inferitur intestino *jejuno*, quod statim deorsum & a sinistris dextrorsum secedendo

C a ver

(47) *Heister.* comp. anat. pag. 62. enumerat 5. *Winslow.* vero expos. anat. tom. 4. a §. 92 ad 102. modo 4. adesse statuit.

(48) ibidem.

(49) Inst. med. a §. 76 ad 113.

a vertebris recurvatur, gyrosque multos facit, qui præcipue ſuperiorem regionis umbilicalis partem occupant, & circumdantur in utroque latere & inferius a gyris inteſtini *ilei*, quod a latere ſiniſtro per hypogaſtrium verſus dexteriora ſerpentino ductu excurrendo infra renem dextrum terminatur & cum inteſtino colo connectitur, & quidem parietem ejus ſiniſtram ſubit, ita ut angulus ſupra ſit obtuſus: infra acutus, coli ſubſtantiam intrat, & quaſi ab ea abſconditur & immittitur ejus extremitas aperturæ cuidam, quæ valvula coli bauhini dicitur & præciſe eo in loco ponitur, ubi cæcum cum colo connectitur impediens regurgitationem alimentorum, vide de hac inſertione plura apud *Morgagnium* (50) & *Albinum* (51). Inteſtinorum craſſorum primum eſt *cæcum* recentioribus caput craſſorum dictum, quod inſtar ſacci, apertura ſurſum ſpectante, in ileo dextro ſitum eſt, & ab ultimo ilei gyro abſconditur, huic adnectitur proceſſus vermiformis veſalio inteſtinum coecum dictus (52), de cujus uſu maxime inter anatomicos diſputatur, quod nos ſicco pede tranſimus, vide de hac quæſtione *Morgagn.* (53) *Winſlov.* (54) & diſſertationem non inelegantem de inteſtinis craſſis a *Michell.* nuperrime in Academia Leidenſi editam (55) continuatio cæci *colon* eſt, quod inſtar arcus ſupra renem dextrum tendit ad hypochondrium dextrum dein ſub fundo ventriculi ſiniſtrorſum deſcendens usque ad partem inferiorem hypochondrii ſiniſtri extenditur, deſcendit per ileum ſiniſtrum, & prope ultimam vertebram lumbarem, flexu facto, deſcendens inſeritur inteſtino recto: hæc inteſtina (nempe coecum & colon) maxime mirabilia ſunt ob no-

(50) Animad. 11. adv. 3.
(51) Annot. acad. lib. 3. fig. 5.
(52) Vide *Morgagn.* adv. 3. tab. 1. fig. 2.
(53) ibidem.
(54) Expoſ. anat. tom. 4. a §. 139 ad 143.
(55) 2 April 1759. §. 7.

nodosam constructionem dependentem a mesocolo & ligamentis per eorundem longitudinem decurrentibus (56): intestinum *rectum* recta linea ante internam sive anteriorem ossis sacri faciem usque versus extremitatem coccygis descendit & in anum terminatur, qui sphinctere gaudens aperturam ibi obviam claudere & aperire, & ita contenta transmittere, vel & eadem retinere potest.

X.

Cavum Abdominis esse censemus inter peritonæi internam & intestinorum externam superficiem, & ita omnia viscera peritonæo inclusa in cavitate Abdominis sita esse dicuntur: scimus enim ex Anatomicis, dari involucrum membranaceum viscera Abdominalia sacci instar includens, statim post musculorum Abdominalium separationem detegendum, quod vocatur *peritonæum* a περιτεινω i. e. *circumtendo*, quia circumtenditur circa viscera abdominalia: in ea nunc cavitate naturaliter exhalat ros subtilis ex interna peritonæi superficie omnia incommoda ex continuo attritu & jactationibus, quibus viscera exposita sunt, impediens, qui absorbetur a vasis absorbentibus, quod per aliquam causam si impeditur, statim ros ille in aquam mutatur: quæ mutatio etiam obtinet in Cadaveribus, frigore nempe si ros ille condensatur.

XI.

Sedibus mali determinatis ordo postularet, ut causas proëgumenas & procatarticas proponerem, verum prius utile esse puto quædam signa enumerare, quibus discernitur, an aër in cavo intestinorum, an vero in cavo abdominis latitet.

Concludimus ergo in intestinis aërem contineri.

(56) Vide de his Eustach. tab. 10 & 11. & *Morgagn.* adv. anat. 3. pag. 26. & seq.

1. *Ex inæqualitate tumoris Abdominalis*, nam inteſtina inæqualiter, ut ita dicam, inter ſe jacere ex §. 9. patet, ſi illa nunc aëre ſunt diſtenta, & ita tumorem abdominis efformant, clarum ſatis eſt, inæqualitates oriri debere, quia abdomen ita elevari nequit eo loco, ubi interſtitia ſunt inter inteſtina, quam eo loco, ubi inteſtina per aërem globoſa tumorem faciunt: huc etiam facit quam maxime ſtructura nodoſa inteſtinorum cæci & coli a nobis in fine §. 9. propoſita: hoc in caſu digitorum ope exacte inteſtina diſcerni poſſunt.

2. *Ex murmuribus & torminibus præcipue circa umbilicum oriundis* hinc dicit *Hippocrates* (57) *ſupra umbilicum labor, ac lumborum dolor, qui remediis nam cedit, in hydropem ſiccum deſinunt.*

3. *Ructibus emiſſis & alvi expurgatione facta ſi ſublevatur æger.*

4. *Ex colico dolore, ſi frequenter ille accidit.*

5. *Ex antecedentibus morbis tubi alimentarii, ut ſunt colica flatulenta, alvi conſtipatio, inappetentia, ructus* &c.

Hæcce nunc omnia ſatis explicari poſſe ex aëre in inteſtinis hoſpitante patet tam ex natura flatuum, quam ex hiſtoria eorum morborum, quos num. quinto enumeravimus.

Abdominis cavum ſedem mali eſſe demonſtrant.

1. *Abſentia ſignorum, quæ inteſtinalem tympanitidem indicant.*

2. *Si portentoſa fuerit ventris intumeſcentia*, tunc enim aër majorem tumorem efformare poteſt, quam ſi inteſtinis contineatur, quia inteſtina ſemper aliquomodo vi ſua contractili nimiæ expanſioni reſiſtunt, & in tantum tumorem abdomen elevare nequeunt.

3. *Si ei hydrops aſcites junctus fuerit*, quod magis in hac ſpecie, quam in prima locum habere videtur.

4. *Ex majori ſonitu, quem percuſſus venter edit, quam in inteſti-*

---

(57) Coac. prænot. num. 304. vide etiam ſect. 4. aphor. 11. & Coac. prænot. num. 458.

testinali (58) imprimis si puro & non fœdato aëre obsitus est venter, tunc enim aër proximior fortius & æquabilius abdomen extendere potest, præterea quamvis asciti nuptus sit tympanites, aër levior & sublimior aquis infra stagnantibus peritonæum immediate attollit: unus casus tamen excipitur, si nempe hydrops anasarca ei junctus fuerit.

X I I.

In enumerandis causis procatarticis & proegumenis hunc servabimus ordinem, ut primo proponamus eas, quæ intestinalem, postea quæ abdominalem tympanitidem generare possunt.

Ad primum referenda:

1. *Laxitas ventriculi & intestinorum*, omnes homines flatus vel aërem in intestinis gerunt, ipsi vero nesciunt, quia per (59) intestina fortia subigitur & expellitur, quam primum nunc eidem homines laxitatem ventriculi & intestinorum contrahunt, statim cibus eis contentus acidus fit & corrumpitur, unde aer solvitur & flatus generantur, qui, quia intestina eos subigere non valent, statim intestina expandunt, tonum eorum tollunt, & paralysin producunt: hinc frequens talis flatuum generatio in iis, qui aquosis & spirituosis abutuntur.

2. *Materia putrefacta in primis viis hærens*, ratio est, quia fermentatione & putredine per calorem ventriculi nata aëris particulæ humoribus intricatæ solvuntur, ob destructionem, quam

(58) Vide *Carol. de la Font* dissert. de tympanite cap. 12. pag. 202.

(59) Hinc non male tales flatus *Helmontius* in libello de flatibus §. 37. vocavit naturales, & productum aliquid utile esse dixit.

quam ergastula aëris patiuntur: vide *Boerhave* (60) *Dan. Cox* (61) *de Gorter* (62) aliosque.

3. *Constrictio intestinorum* hoc sæpissime fit & interdum ita vehementer, ut nihil alimentorum fœcumque transire queat, unde eadem sistuntur ante locum constrictum, & ex iisdem mora putrefactis aër elicitur, colligitur in intestinis, & tympanitidem generat; huic constrictioni occasionem præbere videntur omnia, quæ intestinis spasmum conciliant, imprimis tamen ille morbus, qui passio iliaca seu volvulus aut miserere mei medicis vocatur (63) (de quo postea plura habemus): Narravit mihi expertissimus *J. van der Haar* Chirurgus Sylvaducensis, se observasse in duobus subjectis intestinum rectum adeo constrictum & quasi callosum, ut tenuissimi penicilli ope vix aliquid flatuum aut foeculentæ materiæ elicere posset; unus horum antea etiam volvulo laboraverat: exemplum huic simile invenitur apud *de Haan* (64), qui credit inflammationem intestini huic constrictioni ansam dedisse: retulit & mihi ornatissimus *H. van Nokken* practicus Trajectinus, se observasse constrictionem in cadavere infantis circiter duorum annorum, ubi intestinum rectum maxime erat coarctatum, cætera vero intestina flatu summopere distenta: plura constrictionis exempla videri possunt apud *Ruysch* (65) *Scharp* (66) *Schurigium* (67) *Peyerum* (68) *Swietenium*

---

(60) Elem. chem. tom. 2. pag. 293.
(61) Philosophical Transactions n. 100. pag. 7002.
(62) Chirurg. repurg. lib. 10. cap. 5. §. 1449 & 1452.
(63) de eo morbo vide *Oosterdyk* inst. pract. sect. 2. lib. 7. cap. 10.
(64) Rat. med. part. 2. cap. 5. pag. 78—81.
(65) Oper. tom. 1. obs. 95 & 96.
(66) Oordeelk. aanmerk. over de heelkunde pag. 244.
(67) Chylolog. pag. 538.
(68) Parerg. anat. pag. 62.

nium (69) aliosque, verum apud eos nil de intumescentia ventris constrictione nata habetur, quam tamen tympanitidem posse generare manifestum est.

4. *Intestina & ventriculus omnimodo obturata*, huc facit congestio foecum & alimentorum, tunc enim via obturatur & liber aëris transitus impeditur, accedit, quod & mora putredinem contrahant alimenta, unde flatus generari ex num: 2. hujus §. manifestum: ita narrat *Langius* (70) de tympanitide orta ab ovis in aceto frixis halis largiori copia adsumtis in auriga observata; ita ab alimentis duris nimium ingurgitatis quotidie infantes ventre intumescere videmus: ita a vermibus generatum esse narrat *Hercules Saxonia* (71): Ab ulcere ani fistuloso alvum supprimente in *Misc. Nat. Curios.* (72): ita a callo ventriculum obturante natum tympanitidem scribit *Schenkius* (73) qui & meminit concretionum ani a nativitate & ab ulcere (74): ileum coalitum, unde lethalis volvulus habemus apud *Bartholinum* (75): funestam alvi constipationem ab intestino recto cicatrice coalito legimus apud *Rhodium* (76): & colicam per sex annos a nucleo prunæ intestinis concreto, eorumque viam obturante in *Act. Edimb.* (77): huic obturationi ansam etiam præbere potest nimia constrictio externa abdominis per vestes a virginibus facta, ut graciles essent, de quibus dicit *Terentius* (78).

quas

(69) Comment. ad aphor. *Boerh.* tom. 3. ad §. 960.
(70) Oper. part. 2. cap. 5. §. 13. in adnot. p. 33.
(71) Prælect. pract. part. 2. cap. 24.
(72) Dec. 1. anno 2. pag. 140.
(73) Obs. med. lib. 3. p. 391.
(74) Vide ibidem pag. 419.
(75) Histor. 36. cent. 6.
(76) Observ. 8. centur. 2.
(77) Tom. 1. art. 32.
(78) In Eunucho act. 2. scen. 3. ℣. 21.

——— ——— ——— *quas matres ſtudent*
Demiſſis humeris eſſe, vincto pectore, ut graciles ſient,
Si qua eſt habitior paulo, pugilem eſſe ajunt, deducunt cibum
Tametſi bona eſt natura, reddunt curatura junceas.

Per illam enim externam conſtrictionem tranſitus materiæ alimentariæ impeditur, unde ea ſtagnat, corrumpitur, & flatus ſeu aërem ſuum emittit (79) maxime tamen huc referri meretur introſuſceptio inteſtinorum i. e. ſi inteſtini cujusdam conſtricti pars priori inteſtino diſtento flatibus ingreditur ita, ut nihil transgredi poſſit: non vero eſt convolutio inteſtinorum, uti quidam medicorum putarunt, nam meſenterium iis adhæret, ſed verus ingreſſus, vide *Peyerum* (80) *Kerkringium* (81) *Sylvium de le boe* (82) *Plempium* (83), ubi ratio explicatur, & exempla adducuntur, ex quibus clare patet dari ſuſceptionem illam & dari poſſe eamque ſæpiſſime cauſam flatuum, & ita etiam tympanitidis eſſe (84).

§. 5. *Morbi quidam prægreſſi*, ut ſunt colica flatulenta, quæ modo minor gradus tympanitidis videtur eandem cum hoc morbo cauſam agnoſcens: hydrops aſcites, nam in eo plerumque dantur purgantia draſtica, quæ quam maxime inteſtino-

---

(79) Per talem & conſtrictionem in juvenculæ cadavere ventriculum in duas quaſi partes diviſum ſe obſervaſſe mihi communicavit Celeb. *J. Bon* Med. Profeſſor Sylvaducenſis.
(80) Parerg. anat. exerc. 1. cap. 9.
(81) Specileg. anat. obſ. 42. pag. 95 & 96.
(82) Prax. med. lib. 1. cap. 15. §. 18. & ſeq.
(83) Fundament. med. cap. de meſenterio.
(84) De hoc morbo elegantem diſſertationem inauguralem anno 1742. conſcripſit *Corn. Hen. Velſe*, quæ citata videri poteſt apud *Van Swieten* comment. ad aphor. *Boerh.* ad aph. 960. tom. 3. ubi plura de conſtrictione inteſtinorum inveniuntur.

ſtinorum tonum corrumpunt, & ea paralytica reddunt, cum & ambiens aqua calida innatantia inteſtina continuo humectat & laxiora reddit: ileus morbus (quod ex num. 3. hujus §. clarum eſt): morbi Chronici, per hos enim Cachexia oritur & ſolida debilitantur, imprimis primæ viæ, quarum debilitatem homines ad hunc morbum diſponere ſupra num. 1. hujus §. diximus, ita oriuntur flatus a febribus diuturnis, quod *Hippocrates* ſuo jam tempore agnovit, dicit enim (85) *in febribus, alvo a flatibus diſtento flatum non erumpere malum:* ita etiam poſt morbos male tractatos flatus oriri quotidiana docet experientia, nonne videmus ſœpenumero, poſt febres (86) nimis cito more circumforaneorum per corticem peruvianum debellatas ventrem intumeſcere & ſi diu durat aſciten generari? & ratio in promptu, nam per eum, corpore febri non ſatis depurato, oriuntur obſtructiones, imprimis ſi in ſubſtantia forma pulveris propinetur, unde materia ano excerni ſolita retineatur in inteſtinis, & hinc infarctiones gignuntur, quas flatus producere ex num. 4. hujus §. clarum eſt: Nonne frequentiſſime puerperæ, poſtquam fœtum utero excluſerunt, ventris expanſionem patiuntur? & quid aliud hoc eſt, quam aer inteſtinis incluſus, cujus cauſa eſt in infarctu primarum viarum oriundo a neglecta poſt partum alvi expurgatione: hoc etiam oritur ſi non rite conſtringatur abdomen, nam inteſtina huc usque per uterum expanſum compreſſa ſe ſatis ita ſtatim, utero depleto, in priſtinum ſtatum reſtituere nequeunt, unde tonum ſuum amittunt & flatibus huc usque congeſtis expanduntur idque malum augetur, ſi frigus accedat. (87)

Ad morbos prægreſſos ad tympanitidem prædiſponentes referri poſſunt hæmorrhoides, menſes & lochia ſuppreſſa, lie-

D nis

(85) Coac. prænot. num. 44.
(86) Vide *Juncker* conſpect. med. theor. pract. tab. 65. pag. 426.
(87) Vide Hiſt. morb. uratiſlav. pag. 222.

nis obstructiones, pedum refrigerationes, nam hisce sanguis nimium ad intestina determinatur, unde ea constringuntur & flatus accumulantur: materia morbosa quæcunque retropulsa & in intestinis deposita, scilicet arthritica, podagrica, febrilis &c. Vermes & meconium acre infantum intestina obstruentia: & tandem icterus, cujus causa est impedita bilis excretio in intestina (88), unde digestio læditur ob contentorum lentorem & tubi alimentarii imbecillitatem, accedit, quod ea stagnatione facile corrumpuntur alimenta, unde aer extricari potest: memorabilem hujus rei casum literis mihi communicavit ornatissimus *H. van Pothuysen* Practicus Wageningensis: scilicet femina fere sexaginta annorum quotannis bis aut ter laborabat colico dolore, cui semper superveniebat icterus, anno 1759. mense aprili eodem correpta est morbo sola hac differentia, quod nunc ictero junctus fuerit tympanites, & curata fuit superveniente febre tertiana satis vehementi: ratio hujus rei mihi clara videtur, femina enim hæcce jam annosa quotidie solebat ingerere cibos duros, & coctu difficiles, qui a ventriculo digeri non valentes saburram effecerunt in primis viis, unde primo colicus dolor, dein per obstructionem ductus choledochi icterus natus fuit: diximus nunc (hac §.) defectu bilis generari imbecillitatem ventriculi & corruptionem alimentorum facilem esse, unde flatus generari posse & inde tympanitidem jam jam demonstratum est, febre nunc vehementi, quæ superveniebat, soluta sine dubio est materia in ventriculo & intestinis hærens, & per evacuationem quandam e corpore eliminata, forsan & calculi fellei adfuerunt ductum choledochum obstruentes, qui vi febris alvi fluxu corpore educti sunt, *hos enim*, uti dicit *Swietenius* (89) *frequentissimam icteri periodici causam esse observationes numerosissimæ docuerunt.*

Hippocrates sibi contradicere videtur, narrat enim de quodam

(88) Vide *Oosterdyk* inst. pract. sect. 2. lib. 7. cap. 2. §. 7.
(89) Comment. ad aphor. *Boerh.* tom. 3. pag. 132.

dam Apollonio in abderis, qui auriginosus vel ictericus mortuus est (90) & tamen, uti ait, flatulentus fuit, verum alio loco (91) dicit *morbo regio* i. e. ictero *laborantes non admodum flatulenti*, sine dubio, quia ponit causam flatuum in debili calore, & e contrario icteri causam in humore acri mordicante: Adjecit *non admodum*, ita perpetuitatem negationis interrumpens, uti explicavit *Galenus* (92).

Plures quidem causæ ad hunc morbum disponunt, sed eæ omnes in causis flatuum sunt quærendæ, itaque, his missis, ad alteram nostri morbi speciem adgredimur.

XIII.

Species jam enarrata fere ab omnibus conceditur, sed de ea, quæ nunc explicanda provenit, quam maxime disputatur, & multi nostri ævi præclari practici totam negant: diximus enim (§. 8.) *Littrium* sedem semper determinare in cavo intestinorum: *De Gorter* vero sedem ejus ponit solummodo in cavo abdominis: sed hic quam maxime scillam esse vitandam ne incidamus in Charybdin certe censeo, nam licet *Littre* & & qui eum secuti sunt, semper in intestinis aërem invenerint, tamen in abdominis cavo eundem posse nidulare & tympanitidem creare, ratio non vetat, nec experientia obstat: *Meadius* enim de ea loquitur dicens (93) *interdum vapor in cavo ventre conclusus abdomen prorsum pellit, quod pulsatum sonitum edit*, & exemplum senis adducit tympanitide laborantis, e cujus abdomine post mortem secto halitus cum sonitu

(90) Lib. 3. de morb. popularibus ægrot. 13. pag. 1111. & & 1112. Ed. Foes.
(91) Sect. 5. aphor. 72.
(92) In comment. ad locum præced. *Hippocratis*.
(93) Mon. & præcept. med. cap. 8.

nitu prorumpebat: *Heisterus* (94) in Hollandia studiis incumbens tympanitidem cum *Ruyschio* observavit, in quo aer continebatur in cavo abdominis, illæsis intestinis, cui observationi hoc subjecit testimonium, dicens: *Ruyschius antea tale nunquam viderat; & forsan etiam nunquam postea, ego jam septuagenarius, qui post quadraginta & sex annos multa dissecui cadavera, nunquam tale rursus vidi, licet dissecuerim quædam, de quibus putabant, tympanitidem fuisse causam mortis* &c. cum qua sententia congruunt observationes *Combalusier* (95) & *de la Font* (96), qui tympanitidem abdominalem se observasse testantur: nec rationi hæc sententia contrariare mihi videtur, quod ut probarem quasdam causas hanc speciem generare valentes proferam.

X I V.

Inter hasce refertur.

1. *Ros abdominis non resorptus*, Doctissimi quidam practici censent causam hujus phænomeni consistere in elasticitate roris abdominalis: ponunt enim rorem illum ex natura esse elasticum, quamprimum nunc ille ros in abdomine exhalans & absorberi solitus non absorbetur, aer elasticus vim suam exercet & abdomen expandit, unde tympanites generatur: sed pace tantorum virorum liceat mihi huic contrariari sententiæ; si enim ros ille ex natura fuerat elasticus, etiam humores, ex quibus secernitur, aërem manifesto elasticum continere deberent, quod tamen experientiæ contrariatur, & si hoc verum foret, tunc sæpius tympanitide laboraremus, quamprimum modo ros non absorberetur, hoc enim quotidie fit, simulac modo frigore constringitur corpus, tunc vasa absorben-

(94) Observat. pag. 28. recensit. in *Vogels* neue med. Bibliotheek voll. 1. pag. 8.
(95) Comment. de flatulent. C. H. adfectibus pag. 38.
(96) Differt. de hydrope tympanite.

bentia constricta rorem accipere nequeunt, unde tunc tympanites generaretur: dicit etiam *Boerhave* (97) aëra latentem in liquoribus eandem vim non exercere, quam possidet, si extra eos unitus existit, & multos auctores, eosque, qui acute cernunt, fuisse in eo deceptos; exemplo adducens magnum Borellum in tractatu de motu animalium, ubi de vitali oscillatione aëris elastici intra sanguinem agit: huic *Boerhavio* consentientem habemus magnum *Mussenbroek* (98) dicentem, quidem aërem in humoribus animalium contineri, sed eum non aliter in iis operari, ac si non adfuisset, & hunc naturaliter ab humoribus liberari non posse, & si liberaretur ab iis, vehementer resisteret circulationi humorum, obstrueret vasa, & repentinæ mortis causa foret: Scio quidem, mihi objici, vaporem interdum esse elasticum, licet fluidum, ex quo provenit, ex se elasticum non sit: exemplo sit aqua æolipilæ inclusa, quæ igni imposita vaporem ingentem edit, & quidem ita elasticum, ut vi maxima ad latera prosiliat, cum tamen aqua in se elastica non sit (99): sed an quidem analogia inter humores intra corpus, & fluida, quæ extra illud existunt, locum obtinere potest, merito dubitari licet, quippe quæ aëri atmosphærico patent, & idcirco ejus vires acquirant, accedit, quod tum in omnibus corporis humani cavis, in quibus exhalat vapor, etiam aer elasticus generari posset, simulac modo absorbtus ejus roris impediretur: ita inter pericardium & cor, inter pulmones & pleuram, inter cerebrum & duram matrem expansio ab aëre oriri posset, quod tamen me nunquam legisse memini, hoc quidem in casu, si putrida materies adfuerit: quare itaque potius cum *de Gorter* (100) statuerem, vaporem illum non rite

(97) Elem. Chem. tom. 1. pag. 524. & pag. 453.
(98) Natuurkunde 4to pag. 446. §. 886. & pag. 230. & instit. phys. tom. 2. cap. 37.
(99) Vide *Mussenbroek* inst. phys. tom. 2. cap. 26. §. 923.
(100) Gesuyverde geneeskonst 8vo cap. 46. p. 230.

rite abſorbtum ſtagnare, in aquam mutari, putreſcere, & ita aerem contentum ſolvi, qui ſe tunc expandit, & tumorem format.

2. *Inteſtina perforata*: huc enim facit eorundem fibrarum ſeceſſus per διαίρεσιν, & διαπηδήσιν, cujus cauſæ poſſunt eſſe vermes fibras dilacerantes, quorum exemplum habemus apud *Schaarſmith* (101), qui narrat de homine quodam ſe in pugna exercente, ut comilitonibus ita fortitudinem monſtraret, cujus inteſtinum dilacerabatur, verme in cavo abdominis reperto: ita per excrementa dura inteſtinum colon ruptum refert idem (102): ita ileum perforatum in ruſtico irato & corpus diſtendente, poſtquam aliquot annis hernia inguinali laboraverat, legimus in *Act. Phyſ. Med. Norimb.* (103): ita ileum gangræna perforatum in muliere ſexaginta & octo annorum (104): ita ileum perforatum a ſcrupulis pirorum meſpilaceorum in opifice viginti quinque annorum, a quo per quatuordecim dies paſſione iliaca correptus mortuus eſt (105): ita foramen in ventriculo, per quod flatus & alimenta tranſibant eisdem *actis* habemus (106), cui analogum exemplum exſtat apud *Vogel* (107) & in *comment. lipſiens* (107*) hanc etiam perforationem fieri poſſe, & ita tympanitidem abdominalem generari poſſe agnovit *Hallerus* (108): obſervavit enim aerem inter tunicam muſcularem & externam inteſtinorum hærentem, cenſet nunc facile aerem poſſe transgredi in abdomen, ſi modo aliqua vi tunica externa rumperetur: anſam huic perforationi etiam præbere poſſe videtur corrup-

tio

---

(101) Prax. med. 4to germ. idiom. tom. 3. obſ. 38.
(102) ibidem pag. 300.
(103) Voll. 9. obſ. 2. pag. 8.
(104) Ibidem obſ. 3.
(105) Ibidem obſ. 4.
(106) Ibidem obſ. 5. & voll. 4. obſ. 38. pag. 124.
(107) Neue Mediciniſche Bibliotheek.
(107*) De rebus in med. & ſc. nat. geſtis voll. 1. part. 1. p. 30.
(108) Opuſcul. patholog. obſ. 26.

tio intestinorum: exemplo sit canis mortuus & in aquam conjectus, qui semper post aliquot tempus tympaniticus evadit, nam saxo alligatus statim aquæ fundum petit, aliquot vero diebus præterlapsis, iterum supernatabit in magnam molem expansus, hoc non nisi quam ab aëre elastico per putrefactionem nato fieri videtur: exempla & apud auctores prostant plurima E. C. apud *Schenkium* (109), ubi narrat de colo intestino denigrato & putrefacto, alia passim ubique habentur.

3. *Paracenthesis in ascite male instituta*, tunc enim aër atmosphæricus intrat, & hinc tympanitidem generari posse facile concipitur, imprimis si, aqua educta, cannula non exacte claudatur, & non satis fortiter constringatur abdomen, & sic videtur facile asciten cum tympanitide conjungi.

X V.

Ex hisce satis liquet dari & dari posse speciem illam tympanitidis, cujus causa continetur in cavo abdominis: multa quidem alia dantur argumenta hoc probantia, sed quæ brevitatis ergo, ne nimis longi evadamus, præterimus, quare L. B. auctores, qui de hisce fusius egerunt, commendamus.

Lubenter tamen confiteri volumus, plerumque & fere semper occurrere tympanitidem intestinalem, & perraro abdominalem: verum hæc mihi ratio sufficiens non videtur, quare totam hanc postremam speciem negarem, attuli enim testimonia virorum, uti puto, fide dignorum, & rationes theoricas, ex quibus oriri posse quisque præstantissimæ medicinæ artis peritus facile mihi adsentietur, & si modo unum daretur exemplum fide absque dubio dignum, possibilitatem negare erubescerem.

XVI.

(109) Obs. med. lib. 3. obs. 2 & 3. pag. 359.

X V I.

Sydenham (110) dicit *aliam esse hydropis speciem, quæ oritur a flatibus, præsertim locum habens in feminis, quæ jam provecta ætate nupserant, in quibus abdomen increscit, & perfecte graviditatem mentitur: persentiscuntur enim motus embryonis scilicet flatus, & eodem modo ac si gravidæ fuissent, interdum ægrotant, sororiantibus insuper mammillis & lacte exstillante, & feminæ de fasciis non raro sibi prospexerunt, sed tandem vana spe elusæ venter pari, quo increverat, gradu detumescit:* hoc & confirmat *Roederer* (111) dicens *flatus in utero contenti, antequam excernuntur, eadem fere symptomata ac mola producunt, quare vix possunt cognosci:* & mihi hæcce scribenti ultrajecti ostensa fuit mulier, quæ omnia symptomata instantis parturitionis passa fuit, imo interdum motum embryonis experta, attamen tempore constituto, ubi obstetrix jam adfuerat, nil edidit, sed venter æque ac increverat, detumuit sine ulla manifesta evacuatione; forte etiam nil aliud quam flatus in utero contentus fuit: hoc idem & nobili matronæ eadem urbe contigisse compertum habeo.

Hæc nunc species merito mihi dici posse videtur tympanites spurius, nam abdomen increscit æque ac in tympanitide, verum tantam non in molem, & inferiorem magis partem continet, tamen tympanitidem perfecte posse mentiri satis clarum est.

X V I I.

Ad prognosin quod attinet, dici debet, quod morbus hicce merito inter curatu difficillimos, a *Baglivio* vero inter acu-

(110) Tract. de hydrope pag. 139.
(111) Art. obstetricandi sect. 2. cap. 24. §. 747.

acutiſſimos (112) & cito interimentes refertur: jam dudum diſputatum fuit, an tympanites an aſcites periculoſior foret: *Aëtius* (113) tympanitidem periculoſiorem quam aſcite pronunciat, cui adſentiunt *Aretæus* (114), *Fiënus* (115), *Sennertus* (116), *Williſius* (117) aliique: *Durctus* (118) vero aſcitem periculo tympanitidem ſuperare contendit tum ratione cauſæ efficientis tum ratione partis adfectæ: verum hic iliacos intra muros peccari & extra certe cenſeo, quare potius cum *Combaluſier* (119) & *de la Font* (120) ſtatuere volo, maximam eſſe differentiam inter cauſas, ex quibus oriuntur tympanites & aſcites, & hinc etiam maxime diſcrepare prognoſin: ſi enim a ſcirrho vel ulcere viſcerum ortus aſcites, multo ſane eo mitior erit tympanites: ſi vero a levi cauſa originem traxerit aſcites, jure acerbior tympanites eſt exiſtimandus; ſpeciatim tamen ſtatui poteſt abdominalem tympanitidis ſpeciem plerumque eſſe curatu difficiliorem, quam ea, quæ in inteſtinis locum ſuum habet, quippe quæ a multis levioribus plerumque cauſis originem ducit, & in qua viſcera ut plurimum ſunt illæſa: prognoſis etiam maxime differt, an tympanites ſit ſolus, an vero morbo aliquo complicatus, primus enim curari poteſt, in altero vero ægri morbis antecedentibus & tempore debilitati mederi omnino nequeunt, quia tonum viſcerum reſtituere jure impoſſibile pronunciari debet: idem obtinet ſi tympanites jam fuit confirmatus & diu provectus,

---

(112) Prax. med. lib. 1. pag. 82.
(113) Tetr. 3. ſerm. 2. princip. med. pag. 535. tom. 2.
(114) De ſign. & cauſ. diut. morb. vol. 1. lib. 2. pag. 36.
(115) De flatibus comment. nov. cap. 11. pag. 85.
(116) Prax. med. lib. 3. part. 6. ſect. 2. cap. 4.
(117) Tom. 2 ſect. 2. cap. 4. pag. 148.
(118) Adnot. in ſuam enarrat. in cap. 39. *Hollerii* pag. 282.
(119) l. c. cap. 5. §. 178.
(120) l. c. cap. de ſign. prognoſt.

vectus, hinc dicit *Hippocrates* (121) *denuntiato hydrope sicco, si tormina fiant circa tenue intestinum ingens malum:* hoc enim signum initium tympanitidis esse patet ex eodem (122), & quid aliud hoc tum indicat, quam pertinacissimam stricturam in tenuibus intestinis, & quod coercito aëri maximum elasticitatis augmentum accesserit: plura & prognostica signa & dogmata *Hippocratica* huc pertinentia explicata videri possunt apud *Combalusier* (123) *Fienum* (124) & *de la Font* (125): nos vero ultimam tractationis partem adgrediemur scilicet hujus morbi curationem.

XVIII.

In cura tympanitidis recte instituenda plurimi auctores maxime discrepant, quia variatio maxima obtinet inter illos in determinandis ejus causis: quisque enim remedia commendat, quæ positæ suæ causæ contraria ei videntur: ita nempe, qui spasmum causam esse statuunt, antispasmodica & antihysterica; alii qui flatus causam ponunt flatulentiæ opposita medicamenta: alii, qui materiem putridam producere tympanitidem censebant, medicamenta antiseptica commendant: Verum hoc apud plurimos inveni, quod sicco pede curationem transierunt, & plerumque hunc morbum incurabilem pronuntiarunt, sed hac in re determinationes fieri posse & debere omnino videtur: ut itaque in cura pertractanda ordine procedam primo proponam curationem tympanitidis solius seu idiopatici, dein tympanitidis sympatici, seu cui alius junctus est morbus, itaque primo generalia dein specialia ad curam pertinentia producere conabor.

XIX.

(101) Coac. prænot. num. 458.
(122) Sect. 4. aphor. 11.
(123) l. c. cap. 5.
(124) Comment. nov. de flatibus.
(125) l. c.

XIX.

In genere ex hujus morbi caufa proxima a me §. 5. propofita fequi patet me in inteftinali, (de quo primo agam) commendare remedia flatibus contraria, quæ vocantur carminantia, fed antequam hæcce propinari poffunt, & etiam agere queant, primæ viæ a caufis eos producentibus liberari debent, quæ dein ab iisdem liberatæ ad actionem fuam priftinam redigi debent: itaque hic triplex nafcitur indicatio 1. ut obftacula flatum producentia tollantur 2. ut flatus feu aër elafticus educatur 3. ut ventriculo & inteftinis tonus fuus reftituatur, qui per expanfionem aëris periit, vel faltem maxime imminutus eft.

XX.

Primam indicationem quod attinet, de ea tenendum, quod illa obftacula multiplicia effe poffint, & variæ naturæ & itaque etiam variam requiri medelam, de eis egi §. 12. num. 4., ubi inter ea retulimus anum inpervium & introfufceptionem inteftinorum, de quarum curatione Chirurgi funt confulendi, imprimis *Heifterus* (126), *Platner*, (127) & *le Dran* (128): maxime autem obturati tubi alimentarii caufa eft copia materiæ aut cibi aut fæcum, cujus expulfio optima perficitur per cathartica non nimis irritantia, uti habet *Meadius* (129), quia facile aliter inteftinis fpafmi conciliantur, unde

 con-

(126) Inft. Chirurg. tom. 2. cap. 163. pag. 1040. Edit. ann. 1750.
(127) Chirurg. ration. §. 1026 & 1027. ut & §. 814. & feq.
(128) Tom. 2. Obf. 58. pag. 18.
(129) Mon. & præcept. med. cap. 8. pag. 82.

constrictio lethalis oriri posset, accedit, quod irritantibus tonus intestinorum fere amissus plane perit, & nullo modo restitui potest: per resolventia carminativa per duas aut tres septimanas præscripta, quibus singulis ternis diebus interponantur lenia laxantia uti dicit *Juncker* (130): hoc in casu commendat *Hoffmannus* (131) sal ebsonense cum oleo Amygd. dulc. & nitro, vel infusum mannæ cum cremore tartari: Vomitoria interdum etiam commendantur, inprimis, si indicia adsunt, ventriculum & intestina tenuia præ aliis obsessa esse; præstat tamen ea non dare, quia concussu facile irritantur intestina, unde fibræ eorum rediguntur vel ad nimiam constrictionem, vel ad nimiam relaxationem, & *Monrous* (132) testatur se per vomitoria nullam sensibilem mutationem expertum fuisse, accedit, quod, meo saltem judicio, hac irritatione sic dictus volvulus oriri posset: statuimus enim (§. 12. num. 4.) hunc oriri, si pars intestini constricti superius intestinum flatibus distentum ingreditur: hac nunc irritatione si unum intestinum magis altero inficiatur, & proxime antecedens flatu turgidum maneat, facile ingredi posse subsequens in antecedens intestinum mihi videtur: ad expulsionem quam maxime etiam faciunt clysmata, imprimis si materia obstruens intestinis crassis continetur, quæ tamen eadem ratione ac vomitoria non nimis debent esse irritantia, quare *Meadius* (133) commendat copiosam aquam calidam per alvum infundere, atque illam recipere, ut sine dubio materia obstruens dilueretur & ita facilius exeat: acriter autem disputatur, an quidem clysmata valvulas *Bauhineanas* seu *Tulpianas* superare queant, & ita in intestinis tenuibus agere possint, sed hæcce, quia nostri

---

(130) Med. Theor. pract. tab. 65. pag. 431.
(131) Med. ration. system. tom. 4. part. 2. sect. 2. cap. 5. obs. 7.
(132) Act. Edimb. tom. 1. art. 31.
(133) l. c.

ſtri operis non ſunt, fuſius demonſtrata videri poſſunt apud hac de re maxime litigantem *de Haan* (134).

XXI.

Secunda indicatio exigit, ut aëri vel flatibus exitus detur, ad quem plerumque commendantur remedia antiflatulenta, ſeu carminativa vel carminantia dicta, quorum pleraque ex aromaticis & calefacientibus conſtant; inter ea numerantur radices carlinæ, acori, angelicæ, helenii, imperatoriæ, ſedoariæ, galangæ; folia ruthæ, majoranæ, origani; flores & ſummitates roris marini, anethi, chamomæli: ſemina quatuor calida majora, minora &c., ex quibus variæ præparari poſſunt formulæ, de quibus auctores practici ſunt conſulendi: Varia porro in pharmacopæis proſtant præparata & compoſita, uti ſunt olea ſtillatitia anethi, aniſi, carui, ſpiritus nitri dulcis, aniſi & multa alia, quæ omnia in pharmacopæis deſcipta imprimis Germanicis videri poſſunt.

Aliquot proſtant exempla tympaniticorum, qui curati ſunt aqua nivea ſeu gelida; ita legimus *in Act. Erud. Lipſ.* (135) de juvencula decennali tympanitica per ſubmerſionem in aquam frigidam maris curata: paucis adhinc annis duo tympanitici curati ſunt a medicis lugduno-Batavis *Raſt & Rame* per potum aquæ gelidæ, quia cogitabant nimium calorem cauſam hujus morbi eſſe, qui facillime per oppoſitum frigus debellari poteſt, ſecutis ſententiam *Zacuti Luſitani in praxi ſua*, ubi ſtatuit tympanitidem interdum a nimio calore oriri, eumque gelidiſſimis intus & extus adhibitis, tanquam oppoſito remedio debellandum eſſe (136); cauſa hujus remedii forte etiam latet in violenta conſtrictione inteſtinorum, qua

 ſtatus

(134) l. c. part. 2. cap. 5. a pag. 82 ad 98.
(135) Anno 1697. pag. 356.
(136) Videri hæcce poſſunt apud *Cambaluſier* l. c. §. 398.

flatus expelluntur, quod facilius fit, quia aër frigore condensatur, & quasi ejus elasticitas destruitur.

Plura curati tympanitidis exempla apud auctores inveniuntur: ita per antihysterica & antiscorbutica calida narrat *Monrous* (137): per V. S. apud *Combalusier* (138) per abdominis inunctionem cum oleo philosophorum apud *Mangetum* (139), (qui & multa alia tympaniticorum & mortuorum & curatorum adfert exempla (140): ita per spiritum sulphuris apud *Oswald. Grembsium* (141) & plura talia passim ubique inveniri possunt: verum hanc flatuum eductionem variare manifestum est pro vario morbo eis conjuncto, (de quo postea), & vario subjecto, in quo morbus hæret, si enim plethorici sunt, certe V. S. omnibus remediis antecedere debet, observamus quotidie, homines plethoricos laxa habere intestina hoc & interdum a nulla alia causa provenit, quam a nimia sanguinis copia actionem ventriculi & intestinorum impediente, qui curari possunt, copia ea sublata, scilicet per V. S.; si vero ægri sunt laxi temperamenti, certe roborantia præ aliis adhibenda sunt, inter quæ excellit cortex peruvianus, hoc enim in casu V. S. nullius fuisse effectus testatur *Monrous* (142).

Sæpissime tamen fit, ut omnibus remediis adhibitis venter æque extensus sit, & omnia symptomata pertinaciter permaneant, & flatus seu aër elasticus educi nequeat, tunc medicamentum adhuc superest scilicet ventris perforatio dicta *paracenthesis*.

XXII

---

(137) Act. Edimb. tom. 1. art. 31.
(138) l. c. §. 231.
(139) Bibliothec. med. tom. 3. lib. 8. pag. 280.
(140) Ibidem a pag. 268 ad pag. 283.
(141) De orb. int. & ruin. hom. lib. 2. cap. 1. art. 6.
(142) l. c.

XXII.

Scimus, quod in hydrope afcite, fi aqua nullis remediis educi poteft, inftituatur operatio quædam, quæ *paracenthefis* dicitur: Chirurgus enim inftrumentum Gallis *Troicar* dictum & defcriptum apud *Heifterum* (143) media parte inter angulum offis ilei & umbilicum abdomini intrudit, ficque aquam educit: Merito nunc rogari licet, quare etiam non æque tuto in tympanitide, quam quidem in afcite inftitui poffet, quamvis præceptor meus venerandus (144) dicat, *quod vix multum folatii ab inftituta paracenthefi capi poffe videatur*, & *Boerhave* habeat *puncturam raro fanationi fuffeciffe* (145). Certe mihi aliquis objiciet, quod nullum hucusque exemplum fit curati per paracenthefin tympanitidis: hoc & lubenter fateri volumus, nobis huc usque etiam nullus talis cafus occurrit, quamvis multos eosque præclaros fcriptores, qui de eo egere, pervolverimus: idem teftatur *Heifterus* (146) dicens: *quo minus etenim ad tympanitem quoque curandam paracenthefis a nobis commendetur, obfervationum atque experimentorum defectus prohibet.* Sed hoc demonftrare tamen non videtur, quod paracenthefis omnino noxia, & interdum non proficua foret.

Duretus eam omnino inftituendam effe ftatuere videtur, dicit enim (147): *Medicandi ratio fufcipitur ac perficitur, idque circa initia cujusque hydropis, in leucophlegmatia quidem primum fanguinis detractione: in cæteris vero catharticis, diureticis compunctione &c.* impellere ad hanc operationem etiam videtur ea operatio, quæ inftituitur in hernia incarcerata, fi nempe

(143) Inft. Chirurg. tab. 24. fig. 1.
(144) Cl. *Oofterdyk* inft. pract. cap. de hydrope pag. 14.
(145) Aphorifm. 1251.
(146) Inft. Chirurg. tom. 2. cap. 112. §. 1.
(147) Comment. in coac. *Hippocr.* lib. 2. cap. 19. text. 11.

pe elabens inteſtinum flatibus diſtentum eſt, & per calida fomenta reduci nequit, tunc acu hinc & inde pertundendum eſſe illud inteſtinum commendat *Van Swieten* (148), quas puncturas ſe felici cum ſucceſſu inſtituiſſe teſtatur *Parëus* (149): ad hanc etiam facit illud, quod refert *Sennertus* (150), ruſticas nempe mulieres jumentorum ventrem arctis faſciis conſtringere, & ſubulis perforare conſuevíſſe, ut inflationem tollerent ab eſu graminis cujusdam arundinacei oriundam, & ita mortem averterent, hoc & compertum habeo a viro fide digno, ruſticos in Friſia & Anglia idem remedium inſtituere in ovibus, ſi ſe nimium ingurgitaverunt ſpecie quadam trifolii, & ni fallor, idem in *Transact. Anglic.* refertur; merito ergo hic rogari licet, quare non eadem ratione id obtineri poſſet in hominibus: *Kæmpferus* enim (151) narrat, Japones colicam iis *Senki* dictam, & maxime endemiam profligare inuſtione moxæ vel herbæ artemiſiæ, vel ſi hac non cedit, punctione ope acuum aurearum vel argentearum: ſcilicet acuum magiſtri illis *Tenſaſi* dicti locum explorant & demonſtrant, in quem tunc operatores nominati *Faritatte* acum intrudunt, cuſpidem enim ſiniſtra recipientes inter digiti medii apicem & indicis pollice ſuffulti admovent acum loco pungendo, tum malleo dextra recepto acum uno aut gemino pulſu per externam cutem intrudunt ad profunditatem unius pollicis, tum acum volvunt, ad reſpirationem unam & alteram in loco tenent, mox acu extracta, locum digito premunt qúaſi ſpiritum hac via expreſſuri: idem refert *ten Rhyne* (152) de Chinenſibus; narrat

---

(148) Comment. ad aphor. *Boerh.* tom. 1. ad §. 316. pag. 529.

(149) Chirurg. lib. x. cap. 36. pag. 256.

(150) Inſtit. lib. 2. part. 2. cap. 7.

(151) Amœnit. exotic. faſc. 3. obſ. 11. pag. 582.

(152) Over het ſteeken met de naald der Chineeſen, p. 180, exſtat poſt tract. belg. *Blancardi* de Podagra.

rat &, quod Bengales si flatibus laborant ventrem ita fricant & cogunt, ut aër cum sibilo umbilico exeat, forte ita διαπηδήσιν fibrarum efficientes, vel poros dilatantes, per quos aër exire potest: accedit ad hæc omnia testimonium magni Boerhavii (153) dicentis *puncturam sæpe solatio suffecisse*, si enim solatium adfert, quare non instituenda operatio, medici quidem officium est curare, sed etiam, si hoc non efficit, ægris solamen adferre: & *Combalusier* (154) narrat casum maxime memorabilem, scilicet quod Dominus *Barbeyrac* Parisiis ægrum, qui censebatur empyemate purulento adfectus, curaverit paracenthesi in thorace instituta, & quod erumpebat non erat pus, sed solummodo aër cum sibilo exiens non sine restitutione ægri in sanitatem.

Ex hac nunc historia concludi meretur, quod, si hoc procedit in pectore, idem eadem ratione etiam procedere posset in abdomine, nihil enim est, quod obstat.

Objici vero potest, quod hoc in morbo citius syncope oriri posset, quam in ascite, quia aër tanto velocius, quam aqua exit: Sed ut huic symptomati obviam eatur 1. æger horizontaliter in lecto ponatur, paululum reclinatus ad id latus, in quo punctio instituenda 2. fasciis tam supra quam infra locum perforandum satis arcte abdomen constringatur, hinc *Pringlius* (155) probat necessitatem cinguli ventris, ut æger ipse ventris facere possit compressionem proportionatam deminutioni aëris intestinis inclusi. 3. Si acus cum cannula intrusa est, eaque retracta, modicum modo aëris exilire sinat Chirurgus, dein digito occludat cannulam, & quo magis erumpit aër, eo arctius abdomen constringi debet, hoc enim tamdiu facere pergat, donec omnis aër exierit, verum quia digito satis accurate cannula occludi nequit, in usum vocari

 posset

---

(153) Aphor. 1251.
(154) l. c. §. 456.
(155) Observ. sur les maladies des armées tom. 1. pag. 330.

poſſet inſtrumentum illud deſcriptum apud *Barbette* (156), & inventum a Dom. *Thouvenot*, cujus *præcipuum artificium in ejus capite conſtituitur, quod occluditur clave, cochlidio, & organo elaſtico imperceptibili ita diſpoſitis & aptatis, ut ne minimum quidem aëris per cannulam egredi aut ingredi valeat: hocque rurſus notatu dignum, quod poſſit magis aut minus recludi ſeu aperiri*, ita ut aër vel aqua pro lubitu Chirurgi exire poſſit: dein 4. æger prono ſitu tenendus, ut reliquum aëris, & id aquæ, quod ineſt, ſimul exeat, hac enim cautela ſyncopen quam optime præcaveri poſſe cum *Combaluſier* (157) tuto ſtatuo.

Objici & porro poteſt, quod contenta ex inteſtinis per vulnus exire, & in cavum abdominis delabi poſſent, ſed hoc evincit *van Swieten* (158) poſtquam enim acupuncturam in hernia incarcerata commendaverat, (uti initio hujus §. diximus) dicit, *neque aliquid metuendum videtur ab his vulnuſculis, nam, flatu expulſo, contrahetur inteſtinum, & diſparebunt parvulæ tales aperturæ, nihilque contentorum per illas poterit egredi.* Cæterum eadem ſunt obſervanda ac in paracentheſi, quæ in aſcite inſtituitur: operatione facta remedia propinentur, quæ morbum hunc recidivare poſſe impediunt.

XXIII.

Educto nunc aëre ſequitur tertia indicatio nempe tonum amiſſum inteſtinorum reſtituere, ſed hoc opus hic labor eſt, nam inteſtina interdum tam mirum in modum extenduntur, ut credere vix quisquam poſſet, qui non viderit: mihi anno 1759. videre contigit in cadavere, quod ultrajecti privatim a Cl. *Woertman* præceptore meo colendo, venerando, fuit diſſectum, ventriculum adeo expanſum, ut diſtantia inter pylorum

(156) Oper. Chirurg. cap. 24. pag. 100. in notis.
(157) l. c. §. 455.
(158) Comment. ad Aphor. *Boerh.* tom. 1. ad §. 316. pag. 529.

lorum & cardiam quidem ſeſquipedem æquaret, totus ventriculus quidem duos pedes longus erat: obſervarunt etiam de *Haan* (159) & *Littrius* (160) inteſtina ita expanſa, ut femur hominis adulti adæquarent: hoc nunc in caſu ſere impoſſibile eſt fibras eorundem ad ſolitum motum periſtalticum redigere, verum ſi corpus ſatis eſt vegetum, morbus diu non duravit, & nullus alius ei acceſſerit, ſpes erit tonum recuperandi: hunc autem in finem commendantur omnia adſtringentia & roborantia, ut ſunt limatura Martis, Tinct. Vitriol. Mart., Cortex peruvianus, & omnes radices ſtomachicæ, compoſita etiam omnia ſtomachum roborantia, ut Elixir ſtom. Mich., Eſſent. Stomach., Eſſent. gentian., caſcarill., Tinct. terr. catechu, & multa alia, quæ ubique in pharmacopæis proſtant: maxima hoc in morbo valent exercitatio corporis, frictiones tam humidæ quam ſiccæ, quæ eo fortiores eſſe debent, quo corpus robuſtius.

XXIV.

Hucusque commendavimus remedia tympanitidi contraria, verum quisque facile concipiet medelam omni in ſpecie hujus morbi non convenire, tympanites enim qui oritur ab inteſtinis corruptis, diaireſi ruptis, vel vermibus dilaceratis, verbo tota abdominalis ſpecies fere incurabilis eſt, quia plerumque putredo in ea tanta eſt, & cauſæ efficientes tam pertinaces ſunt, ut corrigi nequeant, qui vero a rore non abſorbto & putrefacto originem duxerit, eodem correcto, mederi poſſet, qui a paracentheſi male inſtituta ortus fuerit, aëre exitu dato, aliquid ſolamen acquireret, verum quia hiſce plerumque aſcites jungitur pro inſanabilibus conclamari poſſunt.

(159) l. c. part. 2. cap. 5.
(160) Memoires de l'Academie Royale de ſciences ann. 1713.

X X V.

Pervenimus tandem ad eam tympanitidis ſpeciem, cui morbus aliquis junctus eſt, vel qui a morbo quodam originem traxerit: ita patet ex prioribus, ei aſciten adjungi, interdum Vermes, interdum paſſionem hyſtericam &c. ita febrem intermittentem ſuppreſſam, menſes & hæmorrhoïdes ſuppreſſos, eum produxiſſe obſervavimus, ſed quia hæ curantur ſpecies, ſi morbi eis conjuncti curantur, patet earum medela ex curatione horum morborum, quæ ex practicis peti poteſt: quæ autem a febre ſuppreſſa, hæmorrhoïdibus ſuppreſſis ortæ fuerint, curari poſſunt, eisdem revocatis, & ſic de cæteris.

Longus enim forem, ſi horum morborum curationem ſigillatim exſequi vellem, quippe quæ deſcripta ſatis inveniri poteſt; in hoc qualicunque ſpecimine meos in arte ſalutari conatus me pro virili teſtatum eſſe ſuffecerit, qui, ſi lectori quoque probentur, erit, quod meum erga præſtantiſſimam artem Studium & amorem ad ulteriores in ea progreſſus faciendos inſtimulabit.

F I N I S.

COROLLARIA.

I.

Tympanitis idem cum Hippocratis hydrope ſicco.

II.

Immerito refertur inter hydropis ſpecies.

III.

Cauſa proxima ejus eſt aër elaſticus.

IV.

Æque ſedem habere poteſt in cavo abdominis quam inteſtinorum.

V.

Rarior ejus ſpecies abdominalis quam inteſtinalis.

VI.

Minus periculoſam quam aſcites inteſtinalem ejus ſpeciem ſtatuo.

VII.

Paracentheſis in eo merito inſtitui poteſt.

VIII.

Morbus sic dictus miserere mei non est convolutio intestinorum, sed verus unius in alterum ingressus.

IX.

Omnibus C. H. humoribus inest aër.

X.

Isque in humoribus non exercet elasticitatem.

XI.

Non datur duplicatura peritonæi.

XII.

Icteri periodici frequentissima causa sunt Calculi biliarii.

Aan den Wel Edelen HEERE

A. WALRAVEN,

Na gehouden Vertoog over de

TROMMELZUGT,

Ter Rolle der Geneesheeren ingeſchreven.

KLINKDIGT.

Die Armen byſtand bied, die Wezen hulp betoont,
Die Weduwen ten ſteun verſtrekt en trooſt in 't klagen,
Die voor 't verkragte regt der onſchuld zich durft wagen,
Die nooit door goud verblind een ryken ſchelm verſchoont;

Die 't goed van 't kwade ſchift, die deugd naar waarde loont
En Themis niet vergeefs het blinkend ſtaal doet dragen,
Wat loon verdient zulk een? wel hoe...? wat mag ik vragen?
Daar hy in 't dankbaar hart der braven eeuwig woont.

Doch wint hy groter roem, die 's menſchdoms Aartstyran
Met ziektens, koorts en pyn, het ſchriklykſte eedgeſpan,
Daar 't lyf en leven geld, manmoedig durft verjagen.

Dit weet myn vriend, hy gaat om 't monſter 't hoofd te biên;
Geluk dan met die keus; En mag myn wenſch geſchien,
Eer, voorſpoed, ruſt en heil, verzelt zyn levensdagen.

A. C. SCHONK;

Gymn. Yſſelſt. Rector.

TER INHULDIGINGE

van

Den Wel-Edelen HEERE

A. WALRAVEN,

Tot Leeraar in de Geneeskunde,

Na eene gehoudene Redentwist over de

TROMMELZUCHT.

Si bene floruerint segetes, erit arëa dives.

Zal ik in 't midden van myn drukke bezigheeden,
Wel-Edle Boezemvriend! voor U de Cyter slaan?
En dient myn doffe toon wel by uw feest geleden,
Daar beeter Dichterdom U siert met lauwerblaân?
Neen laat ik liever met stilzwygende gebaaren
U toonen, hoe myn geest in uwe vreugde deelt,
En zeggen by 't gejuich der blyde vriendenschaaren:
Deeze is de dag en 't uur, dat onzen boezem streelt,
'k Zal dan ten minsten by ervaren Kunst-Meceenen
Dien roem erlangen, dat ik, vry van eigenmin

En

En opgezwollen waan, my zelf' niet durf vereenen
Met Dicht'ren, welker kunſt hen voert ten hemel in.
'k Zal dan... Maar zagt: heeft niet de Vriendſchap my geboden
Altoos te toonen, dat myn hart de trouw bemint?
Wat is 'er keur van ſtyl in myn gedicht van noden,
Daar 't enkelvoudig hart 't gebrek des ſtyls verwint?
Al blyft de Dichtkunſt dan dit pas my ongenegen,
De Liefde voor myn Vriend zal hier myn Klio zyn;
'k Ben om geen valſche Goôn noch hengſtenbron verlegen,
De Vriendſchap drenkt myn Ziel met meer dan Eng'lenwyn;
Dit doet het Dichtvuur in myn blyden boezem branden,
Nu Gy, myn waarde Vriend! ten tempel ingeleid,
By 't geurig reukwerk der geheiligde offerhanden,
Den eerenprys ontfangt, voor Uwe vlyt bereid:
Die vlyt, waar door Gy by de deftigſte Galeenen
Den lof van waare Deugd en vluggen Geeſt verkreegt,
En eind'lyk, door een reeks van letterzorgen heenen,
In hun geheiligd koor ten top van glorie ſteegt.
Hoe zag de *Ontleedkunde* U in haar geheimen ſlaaven,
Daar Gy het proefſtuk van des Scheppers Oppermacht,

G Zoo

Zoo wonder zaamgevoegd met ſpieren, peezen, naaven,
Kunſtketens der natuur, dooroogde dag en nacht?
Genees kunde, afgeregt op heilzaame artzenyen,
En al, wat tot behoud van 't brooze leven ſtrekt,
Zag U den ed'len tyd aan haaren koordienſt wyen,
Zo dra het pluimgediert in 't woud was opgewekt.
Hoe weet Gy in den aart der ziekten in te dringen.
Haar eerſten oorſprong klaar te ontdekken voor het oog?
Dat tuig' de *Trommelzucht*, wier vormverwiſſelingen
Vaak oorzaak waaren, dat zich meenig Arts bedroog:
Daar Gy in tegen deel, in keur van gladde reden,
By Uw verheffing tot het loflyk Leeraarſchap,
Haar innigſte geheim zoo klaar ons weet te ontleden,
Dat elk U zegeviert met juichend handgeklap.
Maar zacht: laat ons niet meer in Uwe glorie weiën:
De Braaven zyn toch meeſt aan Nedrigheid gewend:
En 'k ſcheen miſſchien gezet op dubbelhartig vleiën,
Een ondeugd, in het hart der Ed'len onbekend.
Dit eene zy genoeg: Uw Deugd en Naarſtigheeden
Verdienden de eerekroon, die thans Uw kruin verſiert,
En zullen U geſtaag met eergewaân bekleeden,
Zoo lang de blanke Deugd Uw edel hart beſtiert.

Laat

Laat ik alleen myn wenſch by myne vreugde paaren:
  Strek voor het ziekbed ſteeds een hulp en toeverlaat!
Beperk door Uwe Kunſt de woênde doodsgevaaren,
Eer noch de dolle drift van 't ingekankerd kwaad,
De heilzaamſte Artzeny verachtende, al zyn plaagen
En rampen zaamenroepe, en dus den wreeden dood
Een lachchenden Triumf en glorie weg doe draagen!
Zoo blyft Gy nimmer van Geleerden gunſte ontbloot,
Maar ziet Uw' eernaam by 't getal der dagen groeien,
En *een gewenſchten oogſt na zulk een welig bloeien!*

JAN ROSIER, *P. Zoon,*
S. S. Min. Candidatus.

Aen mijn' ge-ëerden vriend
A. WALRAVEN,
Tot Leeraar in de Geneeskunde bevorderd.

Vriendſchap tracht, ſchoon met veel beeven,
U te vlegten ene kroon;
D'eerzugt had den ſnak gegeven,
Wen zy dacht, met welk een' hoon,
Hoe eenvoudig in haar kleuren
Z' af zou ſteeken by den zwier
Van twee Vlegtſels, die wy keuren
Vol van vinding, ſmaak en ſier.
Kan mijn koornbloem U behagen,
'K zag mijn pogen dan voldaan,
'K zal dan hoon en ſpot verdragen
Van die wraken mijn beſtaan.

Wild'

Wild' ik naar verdienſt afmalen
    Uwen lof, mijn waarde Vriend,
Naau zou GALENUS by U halen
    Zoo veel roem hebt gy verdiend.
Was niet in Uw jonge dagen
    Wis-Natuur-kunde Uw vermaak?
Steunſels, die 't Al onderſchragen
    Wat vernuft en kunſten raak?
Heb ik U niet vaak zien wroeten
    In 't *Ontleeden* met veel ſmaak?
'K mogt U met ALBIJN ontmoeten,
    Die U leerde zonder ſpraak;
Dan weer beezig in 't naſpooren
    Wat natuur al wond'ren baart.
Doch meeſt kon U SCHAGT bekooren,
    Die de ziektens in hun' aart
U deed kennen en genezen;
    Kundigheid blijkt uit deez' blaên,
Dubbel waardig om te lezen,
    Des was *Hippocraat* voldaan.

Wees voorſpoedig in 't *Cureeren*,
Doodſlag wordt toch haaſt verrigt;
Men kan d' Artzen wel ontbeeren,
Als men 't ſterven ſtelt wat ligt.
Wees voorſpoedig in Uw' zaken,
Tot behulp van 't zwak geſlacht,
Die ſteeds met verlangen haken
Naar een Artz dien men veel acht
Doet *Cupied'* U ook eens kwynen,
Zoek dan iemand met die kwaal;
D'eene doet de aâr verdwynen
Zonder dat g' een duit betaal.

Om Vriendſchap, niet om kunſt.